…us
…[illegible] et Pomesaniae

Robertson Guil. Andr. Gestamen pontificii honoris novum innumera virtute et merito Illmi et Rmi D. D. Theodori Potocki.

GESTAMEN
PONTIFICII HONORIS
NOVUM,
Innumera Virtute & Merito,

ILLUSTRISSIMI
&
RNDISSIMI DOMINI,

D. THEODORI
à POTOK
POTOCKI,
DEI, & S. Sedis Apostolicæ gratiâ,
EPISCOPI CULMENSIS,
& POMESANIÆ;
Triumphali POTOCCIANÆ CRUCI
APPENSUM,
& ad Solennia splendidissimi in Cathedram suam
INGRESSUS,
Plausu Panegyrico,

A

M. GVILHELMO ANDREA ROBERTSON,
in Alma Universitate Cracovień: Philosophiæ Doctore & Professore,

CELEBRATUM.
Anno Gestati in Utero Virginis Verbi, 1699.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

IN STEMMA,
Illustrissimi & Reverendissimi
PRÆSVLIS.



Imperij Reges, Dominos, Diadema coronat,
Præsuleas ornat Crux *pretiosa manus.*
Hoc Insigne Domus, quando Potoccia *Gestat,*
Gestamen Summi Præsul *Honoris habes.*

PANEGYRICUS.

INvictam Regnorum Majestatem, non tam longè latèq; extensa imperandi magnitudine, nec potentissimo Gentium, suo sydere, in mortem Martemq; ultrò ruentium robore; quàm subvectis in altum gloriæ & honoris trophæis conservari, ac in immortalitatem, maximâ sui parte prominere, æquè certum est, ac Solem, semper lucidum decus circumferre. Auget maximos in bellatrici pectore stimulos, ingens laudis portio; acuit pronos in bella animos, merces cruenti operis honos; quem generosæ mentes, magni sanguinis pretio, ac vitæ demum ipsius impendio, inter mortes & vulnera, mercantes Gradivi nundinas, magno nisu emere, ac conquirere consveverunt. Hæc magnanimitatis tessera, à gregario militum cætu, ingentis animi heròás, Regnorum animata fulcra secernit; quod illi porrigant plenam cicatricibus ad stipendia manum, vacuisq; dentibus obstrepant bellorum incommoda: plenis buccis sua facta crepent, & sauciato emendicent solatia laboris ore; hi verò immortali famæ, nomen committant suum, ac nullo magis Principum extenuent æraria, præterquàm ipsa gloriâ. Cyclopes suæ æstimationis, continuò sibi cudunt bonum nomen, & perenne decus, in Officina meritorum. Aliquando etiam supremis terræ Tonanti-

bus, vulcanos se exhibent, fulmina armorum ministrantes, vt faciliùs inter Deos terrestres, referri possint, Gruis vices gerunt, pondus boni publici, ac angularem tranquillitatis lapidem, proprijs sustentando manibus, vt insomnes videantur, & laudem ex vigilantia assequi, ac intenta populi ora, in se conuertere queant. Novos, sed feliciores Sisyphos dixeris, ita perpetuo multa interno molimine, volvunt revolvuntq; præclara, quæ in publicum decus & præsidium gloriosè succurrant, & suum nomen infastigium æviternæ famæ, nunquam ruiturum attollant. In hostilis vsq; potentiæ Olympum, victricibus toties clarum lauris, & palmis non semel obtentæ victoriæ insignem, etiam non sine discrimine prorumpunt, vt triumphales inde suo honori adoreas faciant adolere. In apertam hostilium armorum voraginem, more Curtij, vltrò se trudunt; vt pro boni publici incolumitate, titulo liberatorum gloriari, atq; immortali famâ, per Capitolia celebrari valeant. Etiam Annibalem imitantur, semper ad Portas Regni, apertis more Leonum excubando oculis. Oculatissimi quandoq; ac fidi suis Regnantibus Vlysses, montium ardua, spumantes Neptuni fluctus, & eluctata omnium periculorum acroceraunia strenuè peragrant, nullam sui sangvinis parsimoniam æstimando, immo eundem quam prodigalissimè, & vsq; ad prodigium fundendo. Ad extremum per confragosa, & periculosioribus meandris implicatiora, per invia, & aspera, ad honoris bravium decurrunt, nunquam stationarij, ast semper irrequieti stadiodromi. Habet namquè ingens laus sua calcar, (non parvasq; animo dat gloria vires, nedum facunda, sed etiam fortia facit pectora, laudis amor:) quo illum vix non in cunis Orbis terrorem Alexandrum, ita punxit; vt sibi vsq; defecisse mundum plangeret, quem post modum, inter maris latebras, si quid vspiam vincendum restaret,

pro-

propulit. Irritavit Herculem, in tot tantaq; monstrorum prodigia superanda; qui terminarias laborum columnas posuit præ invidia scilicet; ne cuicunquam animus esset, plùs vltra suam audere dexteritatem, totum sibi vendicando valorem, & magni roboris gloriam. Ipsos quoq; Romanos Imperatores adeò movit, vt in Castris sæpiùs, quàm solijs visi, totum sub Latias leges, mittere mundum, contenderint. Ac ideò verùm quidem esse, gloriam sine fuco, & vanitate quæsitam, esse maximam virtutem, sed si ei admisceatur ostentatio, & fatalis ambitus Orbi, in pessimum & detestabile degenerare vitium. Vnde tot Rebellionum Mater visa, mali tanta semina belli, tot funestas strages, Vrbium iacturas, & populorũ excidia: per omnem Orbis faciem, vesana quorũdam gloriæ cupido, parturijt: vt quot quot execrabili, armorum serie, hucusq; mundus pressus est, id totum pro gloria, & honore quisq; suo, gessisse à Historicis proditur. Cæterum exitialis hæc ambitionis flamma, & fax funerea, publicũ excitatura incendium, Apostemata & Orbis terrarum Phàëtontes, non homines adusserit; nunquam tamen Augustos Animos, & bono publico natos, Phàëtonteâ fædavit favillâ, quorum gloria, sicut meridies sine vmbra, honores in publico non alij, nisi perpetuæ virtutis præmia, non superbiæ aut vanitatis vexilla; quibus nihil antiquiùs, & sanctiùs nihil, quàm vitam naturæ debitam, cum gloriosis facinoribus, Patriæ reddere & consecrare. Hæc Vestræ perennia monumenta gloriæ, hæc insignia Honorum, ingentibus meritis, & factis fortibus partorum, o! semper Magni, Felices, Invicti, Vindices, Defẽsores Religionis, & libertatis POTOCCII; Poloni columina Regni. Exquò Genitrix Heroum Sarmatia, pugnare fortiter, vincere feliciter, triumphare gloriosè cæpit, tantorum ausuum, victoriarum, Triumphorum, triumpha-

le auſpicium,ſe meminit ſumpſiſſe,à victorioſo POTOCCIANÆ CRUCIS ſigno; quod triplex omen prætendit. Inde illi in magnifico, publici Honoris Templo,ſemper Principe loco cenſeri,cõtinua & legitima ſucceſſio, ſuccreſcit. Ex hac Domo ſplendorum fæcunda, meritis & Honoribus Celſiſſima,trophæis inclyta,nullo ſeculo, defenſioni publicæ, prodire deſierunt Decij, Camilli, Marcelli, Fabij. tandem poſt tot Bellatorum ſecula, velut ferreæ ætatis rubiginem, auro deterſura. Te JLLUSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE PRÆSUL, bonis avibus, hodie prodidit, Principem Sacrorum; dulcia pacis munera, vbiq; diffuſurum. Talem ac tantùm, dono ſuperùm,& Auguſti ore SERENISSIMI AUGUSTI II. Regis Poloniarum Iudicio, ſibi contigiſſe Paſtorem,& Spõſum, gaudet Tiarata Culmenſis, & Pomeſaniæ Cathedra; & Tecum priſtinam redire felicitatem, non iam auguratur, ſed Sponſore Cælo, CRUCIS Solio redeuntem, ſalutat & veneratur. His plauſibus auſpice Gentilitia CRUCE, in ſublimè Pontificij Honoris ſubvectum, publica celebritas comitatur. Cui exundantibus gaudijs, in conſortium lætitiæ publicæ, animum cogenti, vt ſecurè coniungi liceat; exili Panegyri profundam venerationem prætendo. Tuis Pontificalibus auſpicijs, Beneficium debiturus, ſi dextre periculum ingenij & eloquij, in publico ſole fecero: admiratione potiùs heroicarum tuarum Virtutum, quàm laudatione.

Arduum magnæ gloriæ, ad ſummum honoris Auguſtal, pergere iter; mortalibus quidem conceſſum eſt, ſed immortalia patrantibus; homini non cuiq; ſed Divis ſimillimo; non Vertumnis, ſed maſculis & ſtatoribus animis, ac cum ipſa luctanti ſorore Tonantis, patet Alcidæ, monſtrorum domitori. Inconſulta ac plane rudis eſt eorum eluctatio, qui honoris aliorum

auidi,

cum inuidia ſatagunt eundem, quem alij attingere felicitatis ſcopum; ſed eadem, ac illi, ſequi Virtutis ardua refugiunt. Eiuſmodi mortalibus inſita eſt Natura, recentem aliorum felicitatem, ægris oculis introſpicere, modumq; fortunæ à nullis magis exigere, quam quos in æquo videre; qui quoniam intemperantes laborum, & inſolentes curarum ſunt; id quod ipſi capeſſere nequeunt, neminem habere geſtiunt. Tales more Thimotei vellent piſcari fortunam, ſed non aureis ſedulitatis, impenſarumq; curarum; aſt ferreis incuriæ retibus, & tardæ nimis mobilitatis; aſſas (vt vulgo dicitur) è cælo aperto ore expectando columbas, & interim ne vnam muſcam capeſſentes. Multi demceps, Argonauticam exercere intendunt, nouas ſibi, & alijs inſolitas, ad præuertendam fortunam fabricando naues; bono quidem ingenio, ſed à peruicaciſſimo mutuantur modos genio, & artes iniquas: conantur vt plurimum in ea, totumq; impendunt ſtudium, quæ illis priuata ſuadent, licet publica vetant. Vela non mediocri tumentia fama protendunt, toto ſibi littus in orbe rati; ignorando an potiùs nolendo intelligere, famam veluti halitum populorum, & leuem auram eſſe; quæ citiùs quàm ex ore exit, diſperſa inter cæteras aeris athomos, non dignoſcitur. His honor ambitionis pretium eſt, nec virtutis alimentum, vt Valerius ſenſit; ſed pertinaciæ fortunatæ edulium: ideòq; iactantèr omnia faciunt, cupiuntq; videri, obliti illius aurei ſenecæ effati; modicum Naturam deſiderare immenſum opinionem, viuenteſq; ad Naturam nunquam eſſe pauperes, ad opinionem nunquam diuites. Iſtius modi vbiprimùm fortuna extulerit, eam directricem claſſis ſuæ (cui inſani nimiùm credunt, deſultoriæ eius leuitatis ignari) cæcam ac volubilem nacti, terras, Regna, prouincias, vrbes demum & opida peragrant, ad metam honoris de-

ſudando : cumq; iam iam in limine templi conſtitui o-
pinantur, erepentè verſis aliò carbaſis, truduntur in il-
las æſtuantes gurgitantis pericula gloriæ procellas, vt
inde etiam infauſto ſortis decreto deijciantur, vbi ma-
ximè eminere ſtuduerunt. Ludit ſæpiùs multiſcum
fortuna vt faciliùs lædat, vtq; illos citiùs in ſuam alli-
ciat cymbam, oculoſq; falſa veritatis imagine infaſci-
net, Præfecturas, Conſulatus, Curules, Sceptra, demum
Purpuras, & Diademata oſtentat; quibus tanquam le-
nocinantibus incitamentis, inductos in proram modi-
cæ felicitatis veluti pueriles animos, & ijſdem ſpoliat
quæ dederat, & illo quod mortalibus chariſſimum eſt
orbatos, prout miſeros, ſecumq; luctantes, deijcit in lit-
tus ignominiæ, & irrioſionis. Stulti cum inſana Dea
peregrini, & ſequaces, cum vident occurſari ſuæ naui,
aliqua ingentia honoris cæte, non rubea ſolummodo,
ſed cum fronte ruborem, & ſemetipſos inuerecundi
proijciunt; vt depiſcari poſſint id, quod exiguis inſipi-
entiæ retibus, teneri nequit: ſæpenumero apprehen-
dunt ea, quæ illis interitui ſunt, ſimiles illis, qui ſuper vi-
ridi obuolutum gramine ſerpẽtem, delicatè & mollitèr
cubant, fraudis incurioſi, & inſecuri vitæ. Certi eti-
am ceu infelices Iaſones, currunt in turbines rerum,
& vltro in aſtus inconſtantis Deæ proruunt; vt ma-
gnæ alicuius ſortis, adnauigando Herſoneſum, aureo
potiri valeant vellere, & interim minimo aduerſantis
alicuius Euri, acti impetu: ipſum quoq; propriæ clari-
tudinis deperdunt aureis præſtantem villis agnum.
Improuidi futurorum Acteones, deliciantur circa mar-
gines, mendacis ſimul ac fallentis euanidæ alicuius glo-
riæ eluuij, & quæ perlucida exiſtimauerunt, vliginoſa,
limoſa, & minus cauta inueniunt: immo vnde magnum
ſibi, crediderunt venari nomen, vano ſæpiſſimè irretiti
omine & capti, ſibi demum ipſis facti diſſimiles, velut

mira Methamorphosi, de magnis transmutatur in minimos, simul ac de hominibus in bruta versi, vitam suam, proprijs dant in pabulum concupiscentiæ canibus. Alij quia ociosi, in desiderijs semper & anhelitu viuunt, tendendo continuò pharetras cogitationum, missilibus conatibus, acsi mille instructas sagittis, sed postquam iaculati fuerint, rara adeò felix intentio eorum est, vt ex æquo possint attingere metam illius honoris, quam sibi præfigebant. Pleriq; etiam cæcum arbitrati Numen fortunam, simulant sibi famam, furantur nomina, velant facies factis aliorum, manusq; leni pelle mansuetudinis obuolvunt; ne ruspidi & rapaces videantur, vt primogenituram alicuius honoris capessere queant. Laqueos demum & stratagémata eunti ad alios fortunæ struunt, vt cæca scilicet cadendo, quasuis disperdat optimas & opimas dignitates, quas illi postmodum, successu doloso lætiores colligant; vel vt satius dicã subripiant. Plurimi quoq; puerili genio laborantem credendo fortunam, domum plenam imaginibus maiorum suorum ostentant, & picturata metallis opera, ignari cælo & cedro notandæ Venusini vatis exhortationis: nec genus nec proauos & quæ non fecimus ipsi vix ea nostra puto. Lanceas demum, Clypeos, cristas, & gladios, quos quondam Thauricani prodigio sanguinis, tersoq; vulnerum murice rubentes, consumpsit erugo, & pendulo rasit senio Vetustas: dicunt recenti adhuc hostium cruore madescere, nomen familiæ ad fastum & iactantiam quatenus referant, stemmatum gloriam in Romanis prosapijs fundant. Inconsulti magna stemmata, posterorum factis nunquam benè animari posse, sanæ mentis, sanè inopes sunt, Metempsychoseos fabulam innouant, de vno veluti in aliud corpus, eandem animam, eundemq; vigorem posse commigrare rati. Sunt etiam quidam, qui more Icari, cum

ſuos Patres volare in ſubſelia viderint, ipſi quoq; puſi-ones, & feruidi nimiùm, cereas ſibi applicant alas, vt ſublimia honorum faſtigia, illis involare faciliùs ſit: in-ſcij quod ſi illius ſolij, ac ſolis ſplendoribus, hæc eorum faſtuoſa aduratur inſipientia, ambuſtis velut plumis, in magnum ignominiæ oceanum, graviore cadentes caſu, nomen ſuæ imponant infamiæ. Plurimi demum im-menſos auri cumulos, velut montes, ſuper Oſſam & Pe-lion, cum Gigantibus ponunt; vt excelſum alicuius præeminentiæ conſcendant culmen. Hos inter anfra-ctus, ſublimia petentium, ſolicitè mihi exquirrenti, qua præcelſam TUAM Indolem, auſpicatis nutritam ſub pe-netralibus, maximorum quorumuis operum deco-rumq; capacem, intendiſti: vt novum hoc, & Sacrum, Pontificij Honoris Geſtamen, inter cætera triumphalia ornamenta, Gentilitiæ CRUCI TERGEMINÆ appende-res & illo emineres, inter Purpuratos Eccleſiæ ANTI-STITES faſtigio; cuiusCelſitudinem inter militares MA-IORUM TUORUM adoreas, nunquam Orbis ſuſpexit. Nec diu cogitandum erat, lubricum fortunæ & præceps am-bitionis iter TE declinaſſe, innata Magnanimitas palam convincit: & Regiam tenuiſſe viam meriti ac Virtutis, quæ Terrarum Dominos inter Numina refert. Signa-runt hanc TIBI, non magis cruentæ hoſtium exuviæ, quam perennes amoris publici, iugiter in domo TUA vigentes flammæ; vt illa tantum tentares veſtigia Pal-maria, illas ſemitas præmeres, quæ ad magna per ar-dua ducunt. Vnde ſublimem Hanc Pontificiæ Digni-tatis Prærogatiuam, congruis inſignium meritorum gradibus, non ſortis fortuito iactu, vti alijs ſæpe fortu-næ pullis contigit, adeptus; id muneris totum magnæ & heroicæ Virtuti TUÆ, in acceptis debes; & mihi abſq; aſſentationis purpuriſſo, de TUO honore vſurpa-re licet: per cunctos ivit ille gradus, Aulæq; labores,

emen-

emensus tenuit summæ fastigia sedis. Ivisti Herculeo præclarè factorum passu, & solidato inter lubrica virtutum calle, ad Purpureum hunc Præsuleæ Eminentiæ apicem; nec profanis gentilium opus erat augurijs ad successum, quùm TE maioribus, per altum auspicijs, fata vrgerent: ac retro ad digna curis illustribus meditamenta prouocarent. Nonne & ipsa Sceptriger Regni nostri Ales, videtur expansis in tripudia alis, Tuo velle applaudere Honori; nonne laxatis habenis, currit Litauus, in Sonipede Heros, vt gloriæ Tuæ prodromus omnium præcurrat vota; vt sic bene strato, ad honorem, incedas, non devius tramite. Nec Tibi invidiæ monstra, audebunt occurrere in via, cùm SERENISSIMI Regnantis Nostri AUGUSTI SECUNDI, duo euaginati Gladij vti in Crucem compositi, ita CRUCI VESTRÆ GENTILITIÆ fauentissimi, infesto mucrone, nonnisi in hostes & Vobis infensos seruato: præsto Tibi auxilio sunt. Habet sanè, vndè superbiat Honor hic, qui vltro ad TE venit, cùm longè plus à TE claritudinis accipiat, quàm addat. Ipsa quin etiam fortuna, cæca alias, & ignauorum fautrix, in purissima Illustrium Gestorum TUORUM luce lumen recipiens, Vinctas dat Victrici TUÆ Sapientiæ manus, & meritissimo Honori, pedisequa fieri, non recusat. In hæc & Talia, Tuo Magno adscribenda Nomini præconia, non me permouet, deforme fædæ cuiuspiam adulationis obsequium, tam TIBI exosum, quàm olim optimo Principum Traiano, quodvis adulatorum agmen inuisum. Præsertim cum non meus, sit de TE hic sensus, & æstimatio, sed Vniuersi Regni Nostri conscientia, quod summis de TE spebus, traxisti in magna TUI encomia & laudes. Quomodo enim summa omnia & optima de TE sibi non promittat; qui è summis & optimis natus, non solâ indole, hæc eadem spondes, sed laudatis operibus præstas. Atq;

ego hic dum laudem TUAM in immensa tantarum laudum amplitudine contemplor, lucidissimam siderum aulam, subire videor. Non iam hebet, nec disgregatur, sed læditurq; visus inter tot tantosq;. JLLUSTRISSIMÆ PILAVIORUM DOMUS nitores, & coniunctos alti cuiusuis sanguinis splendores, vberes fermeq; florentes Victoriarum palmas, virentes adhuc triumphorum manu & ingenio Tuorum Antecessorum partas laurus, inter trophæorum summorumq; honorum ver purpureum, idemq; perpetuum; florentis etiam facundiæ & calami vernantis felicitas marcet ingenij ardor tepescitq; dum quemcunq; requiras hac de Stirpe Virum, certum sit de Principe nasci, per fasces numerantur aui. Certè præclarum illud Cassiodori elogium perenni veritatis fulgore, Inclytæ meritis & triumphis Deciorum Familiæ conditum ad immortalitatem, nemo iustius in alterius quam gloriosissimæ POTOCCIORUM Gentis laudem transtulerit: cùm nihil quoq; POTOCCIIS ætas longa subduxit, immo Veteres Decios, in illis Polonia cognouit, Decios inquam priscis & securis seculorum Myriadibus, honoratam Prosapiam, libertatis auxilium, Curiæ decus, Poloni Nominis singulare præconium, illi enim complent paginam consularem, eosdem crebrò nominat cursus annorum, & dum copia plurium, soleat habere fastigium, illorum nomen repetitum, efficitur semper gloriosum, ô temporum singulare præconium! Curia Polona, completur penè Vestra Familia. Magnum sane & Immortale decus, pretium nomenq; perenne, hæc Familia iustè sibi vendicat, quæ in defendenda Patriæ causa, gloriosissimam illam Drusi regulam secuta nec puero vllas vnquam ferias, nedum Viro obtigisse permittit; quin in succurendum Patriæ, Dijs quasi animæ similes, pectora magnis, nunquam angusta malis monstrarent; quibus vti vmbonibus, ac in

expu-

expugnabilibus veluti munimentis, hanc tutam esse voluère: infra invicta animorum robora ponendo, fossarum moras, & præsidia murorum parvi discrimina læti. Heroinæ POTOCCIORUM Matres, sine numero, & iam extra stuporem invictæ, Penthesileas supergressæ, Martes generare consueuerunt: quos inter Tonitruantes frementium armorum fragores, ac si Tonantes, intercudentes Cyclopum officinas, nutrire educare erant solitæ. Immo vti vniones, fulgurante cælo, parturiuntur intra conofilia, POTOCCIIS quoq; idem mos est, vt intra fulmina æstuantis Gradivi, velut gemmæ nascantur: vt sic confamiliares bellorum pauoribus, ipsiusq; Bellonæ collactanei, nullo terreantur armorum strepitu, quo magis terreant: vel vt in cunis etiam sibi promereant purpuram; quos statim obstetrix Lucina, non fascijs illigat, sed palmatis, & cruore hostili rubentibus, obuoluit Maiorum suorum Prætextis. Et ideo Primipilares, ac Triarij, Regni nostri, POTOCCII habiti sunt, in quorum lacertosis vlnis aut stare boni publici securitatem, aut cadere necesse erat. Præstantissimos quippe, & quosuis Sago Togaq; insignes heroas, magnanimitate bellica, ac singulari Virtute Orbi notos, Celsissima POTOCCIORUM Domus, complectitur, vt quidquid defuit, vel desideratum est in alijs; id totum, in hanc Prosapiam, benigno sinu, naturam & fortunam Lechiadum profudisse opinarer. Nunquam illi defuère, fortes Leonidæ, strenui Epaminondæ, pugnaces Pyrrhi, Aiaces magnanimi, & alij triplici ære circa pectus muniti heroes; quibus postposita, propriæ vitæ solicitudo, fide solummodo, & Patriæ libertatis integritatem cura tueri. Terrores hi Orbis, non semel indoluerunt, sibi hostem, non se hosti defecisse: immo in bellis nati, in turbinibus, rebusq; in se, supra subtusq; ruentibus educati; pro crepundijs recenter perfusas hostium exuvias

 habu-

habuere. Nullas territantis fortunæ pauescentes vices, ad omnes cruenti Martis insultus, Valentia corda, plusquam sparthana robora opposuerunt: aduersis tela retundendo telis, & rigidos, audaces, prosternendo hostes; ruere vsq; per medios ferri satellites; nec timere mortem, immo cupere in ipsos, ire obvijs pectoribus enses. Nec novum vnquam illis, monstra, fortiori clauâ herculis manu profligare; Leones Suecicos excoriare, hidræ Tartarorum, repululantia in perniciem Patriæ nostræ capita rescindere secus ac cōburere. Vibrarunt quippè non semel hostes, in nos sua tela, quæ magnate intingebant; vt fortiùs attraherent libertatem Polonā, quam auream norunt; sed infelices, priusquàm auream attraxissent libertatem, ferreos in suas ceruices POTOCCIORUM enses intraxerunt. Consurrexerunt sæpiùs gentes, & ingloria illa, Moschorum agmina, aduersus robur Polonorum; sed ab interiectis POTOCCIORUM manibus, non rubore solummodo, sed cruore non semel perfudi debuerant. Quomagis Tyrannici Vesanæ illius colluviei genij, quorum ingens erat studium, conquassato, ac euerso nostro Orbe, inter sonitum ruinarum, ac concidentis Regni strages deliciari, POTOCCIORUM armis sæpissimè compressi, cum sibi Victoriam defuisse, & illis Triumphum adfuisse conspexerint; ostentantia plausus gaudia, in tristes servitutis vlulatus verterunt; & vbi insequi ac diruere castra consveverant, in cyppum ac compedem missi, seruiliq; iugo innexi, POTOCCIOS victores, in æternum immortalis famæ Capitolium sequi debuerant. Compescuerunt non semel, feudifragos illos, & sibi ipsis dominari prætendentes Cosacos, velut ex visceribus Regni nostri, in dilanianda eadem prorumpentes, seruire iusserunt. Omitto illorum sexcenta, in Bonum publicum gesta, Iliadem scilicet magnorum factorum in vna nuce arctari impossibile

bile credens. Nec tantummodo armis, sed solidissimis valuerunt consilijs, in rebus Patriæ gerendis, manu & capite valentes; non ægide tantum Palladem muniri, sed & Cranio Medusæ edocti: prudentissimi consilio Catones, eloquentissimi in Senatorio laticlavio, pro aris, focisq; , ac demum solo, in quo nati fuère vbiq; abundè perorantes, extiterunt Tullij. Indefessi quoq; Atlantes publicæ felicitatis obseruati sunt; in quorum suffragatores humeros bene quidèm pondus cælorum demitti poterat, nisi toties viduati pondera Regni, sustentare: salutis publicæ interfuisset. Nec amplius superbiat Roma, cum suis antiquis Imperatoribus, quos hucusq; Patres Patriæ, ac Domitores Orbis stridulo per mundum clamat ore: Romanæ etiam non imparem Rempublicam Polonam censuerim, quæ non minus robore, & prudentiâ, quàm eloquio, florentissimos fovet viros. Nobis quoq; haud defuêre eodem nomine & omine digni POTOCCIJ, qui semper Sarmatici Imperij limites Romano more protendere consueverunt. Monstrarunt plerumq; species dignas imperio, vt à Pompa trophæorum, Pompeij; à fecundissimè succedentibus, ac cumulatis triumphis, Augusti; Nervæ, eneruantes hostilem potentiam; dici deberent. Non cedunt fortissimi POTOCCIJ, Valentissimorum Fabiorum numero, tantùm Illi Romani, Isti Poloni scuta imperij: Jlli namq; vna tercentum cecidere die, hi non cadere, sed cædere hostes edocti, tantas hostium phalanges profligabant, quantas in ruinam christianitatis positas esse crederent. Tot Provinciarũ funeribus adstites, & in ipsis fortunæ manibus, ac gravitèr gestorum effeti, & consenescentes; quandocunq; sors ad arma nostros contulerat; ingerebant desuper pila, librato magis, & certo ictu, adversùs temerè subeuntes cohortes, in direptionem nostræ Patriæ: & illos qui

 exiti-

exitium nobis parare visi sunt, funesta strage, non semel domuerunt. Pij erga Patrium solum Æneæ, in medios quoq; ausi prorumpere ignes, ac iras hostium, tunc temporis ab Acheronte communicatas, gratum demum Patriæ libertatis onus, proprijs, ex æstu & incendio, furentium armorum, exportantes humeris. Torvè prospiciebant felicitatem nostram, & suum exterminium, immanes Othomanorum oculi, quòd POTOCCIOS vel Joves crediderint fulminantes, vel supremi Tonantis Sobolē. Spatiosi illi Briarei, non semel pessima nundinatione, vitam in mortem commutantes, pudore ac sanguine perfusi; crediderunt cum Numinibus bellare. Audaces illi, & in omnem effrenati rabiem Enceladi, non sic citò in aciem egressi vt victi, & ab eorum ensibus cæsi, inter stuporem & jacturam medij, Martes redivivos, opinabantur esse POTOCCIOS. Jn summa adeo ipsam vsq; sibi famam vectigalem fecerunt, vt vnâ manu Orientem tantùmmodo, sævumq; eius furorem tenere, alterâ in reliquos hostes, si qui superfuissent servata, credidi fuerint. Nec mirandum est, de felicissimo semper Eorum successu, factisq; immortalibus; cum fortunatissimi veluti Constantini, sub Victorioso CRUCIS GENTILITIÆ Labaro dimicabant, hæc arma, hoc scutum nacti, vbiq; irrumpentes, vbiq; triumphabant, facilè scilicet militare visi, quia semper DEUM habebant Cōmilitonem. Non revoco hîc ad calculum, Nomina Magnorum, ne more Diogenis degere tantum inter capita videar, non valendo Eorum immortalia discernere, & è condigno æstimare facinora, cum omnes stupenda, & animum meum supergredientia gessisse video. Non detergo putrem temporis caniciem ex Vetustissimis Eorum Ceris, ne operta carie mortis lumina, vilitatem Encomiorum sibi dedignari, in me aperiendo obvertant.

tant. Eorum namq; magna merita, & non minora facta, paginâ velle cõplecti ausus esset; quos non Poloni tantũ septemtrionis limites, sed nec exoticus Orbis capere potuit, sæpiùs ab illorum fortissimis dextris, captus ac propugnatus ingemuit. Celer namq; POTOCCIORUM fama toto sparsa orbe, trans Atlanteos mundi recessus, Euphratem, Nilumq;, quo Nominis vsq; Vestri fama venit, quas est vulgata per urbes; etiam per Herculis columnas plus vltra progrediebatur. Horum omnium Arithmeticum agere, impossibile est: Quorum pluralitas, historicam poscit pennam non Encomiasticam, quo minus & Oratorem, metuens, ne maximis eorum factis & fastis obruar. In quorum laudes quisquis contendet scribere, opus erit vt in calamo trux vmbo sonet, carmenq; minetur acre supercilium, spiret ferale vel ipse fluens Pæan, graviorq; triumphet Apollo, & ideo Harpacratico illos satius veneror silentio, in quorum elogia, onustæ immortalibus Eorum gestis Regni nostri, assurgunt Annales. Cum tamen omnibus laudes dicere, mihi perdifficile sit; liceat saltim Magnalia POTOCCIORUM Domûs, recentes triumphos, ampla demum in Rempublicam merita, cum admiratione orbi Polono sistere ac ea solùm proferre, quæ nostris vsq; seculis memoranda sunt. Maneant ergo à privatis laudibus immunes, abundè iam, sua Vetustate, & publica celebritate consecrati, continuæ POTOCCIANÆ gloriæ tituli, præstantes, animis & Virtutibus, heroes POTOCCIORUM animi; quorum illustria gesta, grata posteritas alet, & ipsa æternitas intuebitur. Recentium decorum lectissimũ ordinem, pandat vtraq; Pallade armatus NICOLAUS POTOCKI, Castellanus olim Cameneceensis, ad summa honorum fastigia incedentibus, nullum Augustiorem præire anteambulonem ratus est; quam innu-

mero Virtutum comitatu, ſtipatum animum quo ſemper ductus, non in altum ſolummodo Senatorij honoris, culmen ſed etiam in augem immortalis famæ, evectus eſt. Victricium palmarum vbere proventu, & raris civilis prudentiæ momentis, in pace decus, in bello præſidium, Patriæ præſtitit, STANISLAUS Caſtellanus Podoliæ, quibus & quantus (in illa Regione quæ Sanguinarium omnis furoris Martij Theatrum eſt) prælianti Bellonæ certaminibus inclaruit; publicæ tranquillitatis Aſſertor, funeſtam non ſemel cum hoſtibus pertractando tragædiam, ſemper glorioſi armorum exitus teſtantur. Vir & famâ, & fortunâ floréntiſſimus, oneri potiùs quàm honori expoſitus, ſua hoſtem poſſidere impatiens, per cruentum illud forum, & ſtrages ſub Camenеco iacentium continùo verſabatur; quærens in medijs illis armis, gloriam gentis, & ignominiam hoſtis, quos ſic non ſemel terruerat, vt ſuis cum armis in ſemetipſos, Phocaica ruendo deſperatione, ſibi quoq; mortem duplicarent, ſuo & illius icti vulnere: vt inter tot confuſos ferri ictus, ſtaret incertus, flueret quo vulnere ſanguis, diviſit animam, ſparſitq; in vulnera lethum. Dentatam demum illam ſementem Tartarorum, ex ſuis cladibus identidem repululantem, o! quoties tanquam tempeſtas & grando Martia, contuderat, depreſſerat, confecerat. Non tantùm triſte ſonans Gradivi officina, clangorq; tubarum, ac rubentia hoſtium cruore vexilla, intra inclyta Domûs POTOCCIORUM penetralia ſpectantur audiunturve: etiam triumphale illius atrium mitioribus, Camænis patet, & iucundum exhibet Muſæum ex quo non defuit illis Attica dicendi vbertas, quinimo novi extra Romana roſtra Tullij, fulminante vocaliores Periclis eloquio, melleo ſuaviores Platone, alteri è ſtoa Philoſophi, non incaveis aut dolijs vti quondam

Cinni-

Cynicus, aſt cæleſtibus educati perfuſiq; ambroſijs, nunquam tacentes Virtutes vitiaq; gentium Taciti obſeruantur. Prodijt in arenam eruditæ Deæ, quam ſudore doctæ frontis ſæpiùs madentem oſtendit JOANES Palatinus Bracławienſis, hunc Magnificentia, & opes, & cuncta privatum modum ſupergreſſa extollebant; aptior ſermone, diſpoſitu, proviſuq; civilium rerum peritus, egregium principatus temperamentum, in arduis Regni noſtri negotijs, pro Patrio Conſo habebatur, Calamo æquè ac gladio potens, patrios defectus ſecus ac Virtutes, inconnivi penna tradere poſthumis doctus; ne cæterorum facta ſolummodo ſcribere videretur, Polonicalium legionum cõtra ROSUANUM & MICHAELEM Coſacorum Duces, Præfectus factus, ipſe quoq; cedro notanda, ac prolixiori hiſtoria digna geſſit; ut prono illius, in Palladis & Martis obſequia animo adſcribi poſſit; Quæ modo fulmineum Vibrauit dextera ferrum, pacatos calamos, ſangvinolenta regit; ſcribit dextera eadem calamo, quæ geſſerat enſe, hoſte Vetuſtatem deficiente ferit. Qui licet mortalitatis exuvias, & mométo habitabile Populorum diuerſorium liquerit, ad immortalitatis ſedem properans, & æternæ manſionis commigrationem; nihilominus Tantum Virum, & facta Eius glorioſa, Muſa vetat mori: nam quem referunt Muſæ, viuet dum robora tellus, dum Cælum terras, dum vehet æquor aquas. Magna hæc ſunt & immortalia, ſed maiora adhuc videntur, quæ in ſtuporem magis quàm narrationem inducunt NICOLAI PALATINI Bracławienſis Campiductoris Exercituum geſta, hic inter candida adhuc materni lactis alimenta, Rubiconem hoſtilis ſanguinis transfretare geſtiens, cruentis edulijs nonniſi paſci, Martijſq; rumoribus attolli conſuetus; reptauit per ſcuta puer, Regumq; recentes exuviæ illi ludus erant. Pro infantili

 ſtatim

ſtatim diuerticulo, aream potiùs quàm arenam metiens, loco nucium, chalybeatas nocenteſq; portando glandes, ac pro teneris bullis, bella intonando; aſcias ſtrictaſq; bipennes, præſago in futuram hoſtium cædem vibrabat omine. Decimo etenim Octauo Anno factus miles, virentem adhuc annorum ſuorum palmam, inter fatales Martis ſimul ac mortis implantare duxit cupreſſus, qui poſtmodum in triumphales maximo eius Honori, excrevere laurus, tunc temporis in cruentum Album Nomē inſeruit ſuum, porrexitq; manum gladio, quando aliorum imbecillis ætas, calamis adhuc fatigatur, ac chartis magis quàm ceruicibus, exarare ſtudet atramentarios, non ferreos characteres: vt vix crederem interdū alijs contigiſſe de hoſtibus audire, quando ipſe iam vincebat. Suo ſtatim fortis ab ortu, nunquam tantùm in Muſarum eruditi otij culturam, animi ſui impendit, Marti ſcilicet genitus, oſtendit benè illam manum ſcire adminiſtrare gladium, quæ regere pennam erat ſolita; immo in Defenſionem Patriæ leuior illi enſis, quàm calamus videbatur. Admirando ſanè exemplo, ſecus ac laudabili & forti nonniſi animo conſentanea reſolutione, hanc aream ſupergreſſus eſt, in qua non ludi ſed bella geruntur. Verùm hanc Martis progeniem, Martio ſydere terrarum præſidio exortam, inter Martiales pro ſalute & Incolumitate publica ardores, temporali occaſu extingui decuit, & maturè cælo accendi, inſpiraturam heroicos auſus bellatori ſuorum ſanguini, vt nihil ex eo prodiret niſi bellis idoneum & triumphis. Pulchrè micantia ordine ſuo Nomina Gentis, velut primæ & ſecundæ magnitudinis aſtra, dum in ſuis ſplendoribus celebraturus contemplor, repente maiorem Phæbo diem, moderator luminum cæterorum offundit, JLLUSTRISSIMÆ FAMILIÆ, NITIDISSIMUS SOL, Supremus olim; Idemq; Victorioſiſſimus Exercituum

tuum Regni Ductor, STANISLAUS POTOCKI, Castellanus Cracoviensis, TUUS OPTIME PRÆSUL AUUS Desideratissimus. Hic Imperatoriarũ Virtutum gloriâ, Antiquis Ducibus par, inter tot Supremas planè aduersorum noctes, inter tot fatales tempestatum, hostiliumq; nimborum minas, dum serenum sudumq; pacis, invicta Virtute & felicitate, Poloniæ vndiq; afflictæ toties restituit; inter tot extrema naufragia, ex scopulo in tranquillum Reipublicæ nauem reduxit. Aquilonaria Pignora, Moschorum infesta arma toties contriuit, & tumidos spiritus confundens, mitiùs spirare iussit. Tanto Imperatori, si eloquentiæ Antistites laxatis habenis, elogia fundere, eiusq; Immortali Gloriæ exquisito artificio allaborare vellent: Nunqum eorum capita nectare eloquij turgentia, tot affundere excogitareq; possent conceptus, quot Ille innumera hostium capita, incendia, clades, funera, solitudinem Poloniæ ferentia debellauit. Sensit Illius vltricem dextram, Divini humaniq; Iuris Temerator Leo Sueticus, qui dulce Regni Poloniæ Pomum deuorare contendens, sat illud acerbum amarumq; gustavit: dum ab hoc superatus Samsone, Mellificium Victoriæ, quam sibi ex deprædatis Lechicis Provincijs parabat, POTOCCIO ipse præda factus dedit triumphum. Necdum siccis oculis spectare possumus, funestas Regni Nostri ruinas, euersas cum populis urbes, sacrata Templa DEûM diruta ac solo æquata, propugnacula militibus præsidiarijs secus ac civibus exhausta, ac vbi quondam stetere pergama nunc fluctuare aristas; tristia spectacula sueticæ hostilitatis: quæ in peius Patriæ Nostræ excidium erupissent, nisi POTOCCIANA & CZARNECCIANA Magnanimitas, vnitis dextris, hanc Giganteam audaciam, Cælo Poloniæ imminentem compressisset, & tot Victoriarum torrentem, invicto robore, velut obice repressisset. Suis tandem im-

mortuus triumphis, egregiam belli Turcici Palmam, velut in medio poſitam, glorioſiſſimo Filiorum triumphalium Ternioni, non tam reliquit quam propoſuit petendam. Prior in ſucceſſionem Paternæ gloriæ, ardenti ſtudio ſuccenſus, ivit non minùs fortitèr, quàm gloriosè bella per omnia, quæcunq; hactenus Poloniam turbauere & afflixere. ANDREAS POTOCKI Tuus ILLUSTRISSIME, & REVERENDISSIME PRÆSUL PATRUUS, vt per ingentium Meritorum & Honorum gradus, Celſiſſimam Caſtellanatus Cracovienſis Purpuram, & Ducalem Clauam conſecutus, ſuppar Atlanti Patri Alcides Filius, pari honore cenſeretur; militiam ſuam, non magis armorum quam conſiliorum eſſe, vt Orbi conſtaret; & cum forti Aiace pugnare potuit, & cum prudenti Vlyſſe pugnandi tempora ſecum habuit. Non neſcius validiorem eſſe caſtrorum munitionem, cui tela vincendi præludia, ex Armamentario rationis, potius quàm ex euentu, ſtultorum magiſtro ſuggeruntur. Salutariùs ſecuriùſq; Reipublicæ eſſe, mala à longè prudenti prævidere conſilio, quàm iam ingruentia Victrici quantumvis gladio ſubmouere. Pugnacem quidem ſemper Marcelli animum retinuit, ſed illi prudentiam moderationemq; Maximi Fabij adhibuit: quibus præſtitibus cunctando, non ſemel Polonam reſtituit rem. Cum Maximus ille Regum Bellatorumq; quo Maior inter Regnantes Poloniæ non ſurrexit IOANNES TERTIUS Romani ſedem Imperij Viennam, totumq; Chriſtianum orbem, inaudito exemplo extra Regnum progreſſus, incredibili fortitudine, magnitudine animi & ſapientia, à ſupremo periculo liberaret, defenderet, ſeruaret: Hoc vnum tunc deſerta Polonia munimentum, aduerſùs Barbaros habuit, hanc vnam præſentem Tutelam ANDREAM POTOCCIUM. Nemo verò etiam inauditi illius, poſt homines natos ad Vien-

nam ex Turcica potentia triumphi, eum exſortem exiſtimet, cui maximam ſui partem, ingentis pretij gemmam, JLLUSTRISSIMUM DOMINUM STANISLAUM POTOCKI, Capitaneum Halicienſem, cariſſimum pignus impendit. Sic ille Caſtor in armis præcipuus, purpureo quia triumphali occaſu, ad Capitolium immortalis gloriæ, Paternis occaſibus viam ſignauit: non ſine publici ſolamine damni, quandoquidem vtriuſq; famam immenſum aucturus, Avitarum Paternarumq; laudum Heres, Magnæ ſpes altera Familiæ, JLLUSTRISSIMUS DOMINUS JOSEPHUS POTOCKI, Capitaneus hodie Halicienſis, intaminatis Virtutum fulgoribus inter mortales rutilat Pollux. Non licet, nec decet feſto lætoq; die SPLENDIDISSIMI JNGRESSûS TUI JLLUSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE PRÆSUL, muliebribus lamentis accuſare fata, quæ novum Ilio Cameneci, Pergamiſq; Podoliæ, cælitùs proviſum Hectorem JLLUSTRISSIMUM PARENTEM TUUM PAVLVM POTOCKI, Caſtellanum Camenecenſem, domi militiæq; ſummum, terris tantum oſtenderunt. Cuius dolendæ morti leſſum ſcripſiſſe Poëtã crediderim: Heu faciles dare ſumma DEOS, eademq; tueri difficiles; hunc etenim ipſo rerum magnarum apparatu futurum Libertatis Legum Patriarum Vindicem acerrimum, mors fato propera ſub ſuas vocavit leges. Non omnis mortuus hac parte, vindicat Fatorum invidiam, quia 8to filiorum prole, & indole ſummorum capaciſſima beatior, ſingulare damnum multiplici incremento, Patriæ Familiæq; rependit. Quanta verò felicitas TECUM Orbi Chriſtiano, nedum Polono contigerit JLLUSTRISSIME DOMINE FELIX POTOCKI, Palatine Cracovienſis Dux Campeſtris vltra publicæ celebritatis præconia, hanc Tibi hoſtes ipſi adſtruunt laudem, quaſi ipſo Nomine obligari moneriq; videaris, vt quantus es totus in commune bonum

 pro-

promouendum propendeas. Poſt pulueres Palladios, cum fructu toleratos, aduerſis proſperiſq; Reipublicæ admotus, nullos geſſiſti honores, quos non præclarè gerendo præceſſeris. Inſignia Capitaneatuum Craſnoſtavienſis, Sokalienſis, Ropczycenſis, Tłumaczenſis, Lucinenſis, an non multiplicis ſtrenuæq; operæ in publico præſtitæ; imparia quidem non tamen vilia prætia erant. Per gradus altiorum honorum ſolida conſtantis Virtutis ac meriti, non lubrica volubilis fortunæ veſtigia contendiſti; vſq; ad ſummam Palatini Honoris Cracovienſis faſtigium, habiturus illud maiorum pro Patria auſuum nobile calcar, & meritorum incitamentum, non Jlluſtrium Curarum leuamentum. Tu namq; præter curam & ſalutem Patriæ cùm nihil aliud præ oculis habeas, quieſcere etiam in ſummo non potes, quin publicè proſis, & maximo Honori per ſummos labores ſupereminëas. Quos Tu Dij boni! hoſtes fuderis, quæ bella geſſeris, quæ prælia, quos conflictus, conſerueris; quas Victorias & Triumphos reportaueris; quid Mars Tuus fecerit illic, quoſue necijdederit, quiduè quibuſuè modis. Teſtantur etiam hodiè Nimorowienſes, Komarnicenſes, Kałuſſienſes pugnæ, illuſtria TUARUM monumenta Victoriarum; vbi alij conſulerent oracula, alij Romanas Volucres, tutumne eſſet in tanta ſeſe protudere pericula; Tu idem conſulendo, idem bellando promptus, vbi ſalutis publicæ intererat; ſine mora explicare ſigna animosè & vincere gloriosè ſueueras. Memoranda ſeculis illa Hotimenſis victoria, noſtris hucuſq; glorioſa, hoſtibus ignominioſa, ingentem laudum TUARUM ſeriem tacere nequit, & glorioſo haud deſinit ſuperbire laborum ſyllabo, cuius proſperrimo euentui allaborans, ſemper præſens & Præſes non antecedebas ſolummodo alios, ſed & antecellebas, prior in cruentam Gradivi aream ſigna inferendo,

do, nec nisi Victricia referendo. Ast in Maiorem TE vindicat gloriam, apud omnium posterorum seram recordationem, stupor seculorum, Viennensis Triumphus de insaciabili Heluone Christiani sanguinis reportatus, cuius maxima pars prædicaris, cùm illi felicissimum auspicium imperterrito pectore cum hastata TUORUM cohorte Triariorum Magnanimus dederis. Tu solo Numine vero protectus, consertissimis hostium cuneis cinctus, medias inter acies Victor acclamabaris, Achille fortior; quem Homerici quondam Dij caua nube operiebant; vt sine discrimine inter nudos hostium enses versaretur, solusq; illæsus, lædere possit & illudere victis. Optimus equidem Tuus laudator stupor esse censeretur, qui omnium heroum magnanimitatem, in TE vno complexus, Vniuersorum elogia superas Oratorum, extenuasq; totam dicendi copiam. Nihilominus rudis quoq; mea facundia TUIS triumphis obstrepere ausa est, non ausura nisi deberet: quandoquidem alterum vitæ suæ, Nominis, Fortunæ, & Dignitatis Parentem, gratis animi vocibus recognoscit MAGNUS ANTISTES, Cui exilis hic meus militat apparatus. Super omnia solatia hoc TE maximè recreat, hoc sustentat, & vigorem vitæ & lætitiæ sensum auget, quòd pares Tanto Parente Filios, moribus, virtutibus, & factis fortibus perquàm simillima TUI ex TE genueris inconcussa Patriæ nostræ robora ac murum planè aheneum. JLLUSTRISSIMOS MICHAELEM Capitaneum Krasnostawiensem, JOSEPHUM Capitaneum Ropczycensem, STANISLAUM, & GEORGIUM præsentia quovis tempore in defensionem Regni Sarmatici columina; siquidem attestante prudentiæ summo: non classes, non legiones, perinde summa Imperij munimenta sunt, quàm numerus liberorum. Quantis Illi præcellunt, quantis destinantur Honoribus, quos

recusare parati, nisi liqueat meruisse. Quot vigiles publicæ famæ oculi in laudes decusq; TUUM evigilant, JLLUSTRISSIME DOMINE POTOCKI Excubiarum Regni Præfecte, olim exotici, nunc Lechici Martis delitium, Heroica animi & corporis fortitudine Herculi non inferior, Tartarorum tonitru, finium Patriæ aduersùs Thracios furores, frequentesq; Getarum nimbos, Fortissimus Defensor, nec non validissimum obiectamentum. Haud vnquam Tuus scivit segnescere ensis, quem in hostes eximendum nulla in vaginis detinuit rubigo. Immo alter veluti Mutius, nunquam mutus pro libertate Memnon, palmum ocyùs vulneri quàm illi palmæ offerre prætendebas, ex qua odor tantùm victoriæ ac vani decus triumphi, & non fructus vberrimus ac sacietas populo (in illis oris vbi Tu strenuissime bellabas) ex suis per aliena exulanti prodire debuisset. Aurea faustitatis Polonæ germina, Tua JLLUSTRISSIME & REVERENDISSIME PRÆSUL capita belli pacisq; ornamenta & præsidia, JLLUSTRISSIMOS DOMINOS STANISLAUM Castellanum Camenecensem, ALEXANDRUM Succamerarium Haliciensem, STEPHANUM Capitaneum Czerkassensem, JACOBUM MICHAELEM PETRUM & receptum iam Cælo exoticæ militiæ Maiorem DOMINICUM post tot nobiles palmas Cæli triumphis maturum, reuerentis silentij profunda veneratione colo; cùm in singulares singulorum laudes & sublimia decora, ingenio & eloquio assurgere non opis est nostræ. Cæterùm cum prisca recentiaq; CELSISSIMÆ GENTIS TUÆ decora, penitùs retracto, ceruleo Martis sydere afflatum TOTUM GENUS POTOCCIORUM, nil nisi bella, pugnas, Victorias, triumphos, meditari, gerere, mereri, animaduerto, TE solum verè DONUM DEI THEODORUM prosper Iovis fulgor, ad sacratiora negotia pacis composuit. Sacramq;

aramq; PRÆSULEAM Purpuram vt ornares, omnium Virtutum ornamentis visendus, inspiravit & inter triumphales MAIORUM TUORUM manubias NOVUM PONTIFICIJ HONORIS GESTAMEN, Victoriosæ CRUCI TUÆ GENTILICIÆ, consecrares & appenderes. Aurelianum Augustum in cunis Vagientem, ministerio Aquilæ elatum, in aramq; delatum legimus, quàm veriùs eiusmodi TIBI præstitisse obsequium, albam Regni Poloniæ Alitem, Sceptorum non tantùm fulminum Tonantis Poloni ministram, in ipsis penè cunabulis crediderim; vt GENTILICIA CRUCE, belli potiùs quàm pacis tesserâ insignem, tenerrimis tamen nutibus sanctiori propiorem Olimpo, mox sacratioribus admotura Aris, auspicatò peruolaret, & peruolando CRUCEM TIBI PRÆSULÆAM, non tam in aere, quàm in Virtutibus Præsule dignis figuraret. Tu namq; in infantilibus adhuc positus culcitris, inter pueriles illos lusus, sensus visus es intonare arcanos, & Regalis sacerdotij coronis apprimè seruientes, & non vagitus; qui ideò non erumpebant, nam suæ granditati, pusillum adhuc os rebantur. Nulla igitur Juno, ausa est ad TE venire cum serpentibus, quem in Causa DEI & Ecclesiæ, Dracones laceraturum præsagiebat. Statim Patriæ Nostræ TUI planctus, grata fuere modulamina, quæ vti quondam cithara Orphei, ad plausus totum Nostrum Regnum concitarunt. Vir etenim magnus, acsi publica nascitur lætitia & felicitas. Superbit hucusq; Creta se nutritiam extitisse Iovi, Podolia quoq; licet decliuitatem in nomine portet, sublimiori tamen debuisset hucusq; censeri titulo, quæ TIBI Natale exhibuit solum, Illumq; aluit, qui futurus erat Patriæ lumen altumq; columen. Astrorum periti meliorum Planetarum fauores, in TUAM felicitatem, & Nominis Honorisq; amplitudinem conspirasse, in vultu & Indole præclara legebant, minora tamen coniectabant,

ctabant,

ctabant, cum Tu altioribus fastigijs cælitùs destinareris. Tu varios disceptantium de Tuis successibus sensus spesq; de Te præconceptas minimè elusisti; cui mens ardua, teneris fulgebat in annis. Nec mirùm, quoniam generosæ arboris planta, statim cum fructu est. In impuberi & florida adhuc ætate, illis plerumq; præcellere videbaris, ad quæ vix vnquam annosa senectus peruenit. Vnde frustra est in Te iuueniles requirere annos, quos gravissimis moribus oppressisti. Monstrasti egregia benè formatæ Indolis lineamenta, illis nimirum dando operam studijs, quæ maturioribus conueniebant annis. Quocirca Virtute ociùs in Te maturescete quàm ætate, generosissimè in eruditis Almæ Palladis liceis, licet absq; sanguine, non tamen sine immodico sudore dimicando, damnum nimiùm Polono faciebas Parnasso, cum illius omnes penitùs lauros in Tuum decus meritò trahere censebaris. Sarmatici Apollinis splendore satis conspicuus, exoticos sub soles Te contulisti, non videre externa laudanda spectacula ast potiùs videnda in Te vniuersis præbere solicitus. Multorum mores hominum lustrando & vrbes, Germaniam, Galliam, Italiam, & cætera Regna inuisendo, nunquam alienæ lucis ardoribus delinitus, mollia diffluxisti in vitia; quinimo constiantor & Pario veluti è marmore cusus, in ea Cælum tantum mutasti, non animum, quem in optima seruaueras. Imo aliorum luxui climata molliora, Tuæ heroicæ Virtutis profectibus fecisti meliora. Vera Sarmaticæ Aquilæ progenies, quæ ideò pullos suos varias transmittit per oras, vt quocunq; soli, & solo eos obiectet, sibi eosdem non degeneres probet. Tantis sapientiæ, ciuilisq; prudentiæ experimentis, egregiè exploratus, in Tvam Poloniam ingentium Heroum, & Optimorum Præsulum propriam velut in Patriam redijsti. Vbi Coronatis Capitibus vt al

ter

ter fieres Epheſtio, ſub Auguſto Coronarum Ternione prima nobilium curarum poſuiſti rudimenta. Cumq; ad Perauguſtum Capitulum Cracovienſe, acſi ad Capitolium acceſſiſes, illicò tot tantiſq; publicis, non ſine omnium ſtupore TE exponebas negotijs, vt Palmæ adinſtar, intra pondera functionum Regni creſcere TE oſtenderes. Ac proinde Iudex ad Tribunal Regni deputatus, nil non laude publica dignum egiſti, vt meritò TIBI adſcribi poſſit; quòd in illis iudicijs Iuſtitiæ cultor, rigidi ſeruator honeſti, in commune bonus extiteris. Non ſic Tu acceſſu Difficilis, vti aliorum aſpectus, qui veluti rubus ad quem ſi prope acceſſeris pungit. Talium TIBI mos ſemper execratus, qui iuſtis ſupplicum deſiderijs, & præcibus vltrò obvius & apertus, nullius reſpectûs ductu, ſolius comitatis inſtinctu, ad ſuffragandum plurimorum neceſſitudinibus ferebaris. Nec ita vti cæteri qui quidquid calcauerint, novi Midæ ſubitò aurum fieri vellent: Tu nullum aliud inde exigebas vtile, præter rectam conſulendi rationem & aureos mores. Tam præcelſis & in publicum proficuis intentum negotijs, altiorum iuremeritò ambiuit Claritudo honorum, quam feliciſſimè auſpicatus, in auguſta Sereniſſimi JOANNIS TERTII Regis Poloniarum aula, pro ſydere primæ magnitudinis habebaris. Functus es glorioſè & prudentèr arduo ſatis Cancellariatus munere, apud Sereniſſimam CASIMIRAM Reginam Poloniarum, à cuius Reginali Maieſtate nullus ante TE Oratorum auguſtius reſponſa dabat. Dignus proinde eras, vt qui inter populos Virtutibus præcellebas, & Pontificialis Infulæ apicibus emineres. Hic mihi latus Encomiorum campus aperitur, vbi grandibus inſuetus argumentis, laſſum per TUA Miranda ingenium, vix infine recoligo: vnde ſatiùs ſecuriùſq; reor, apud aures Indulgentiſſimi PRÆSULIS, Veniam imparis Præconij deprecari,

cari,

cari, quàm magna parvis tenuare modis; & culpam ingenij, deterrere sublimem Gloriæ & Honoris Tui amplitudinem, vix ipsis pro dignitate Plinijs implendam, vel Tullijs celebrandam. Oportunè igitur causatus facundi Consulis Authoritatem, eum pro dignitate laudari non posse, qui plusquàm laudanda proferre non desinit. Cum Clero populoq; Tuo, qui densissimo agmine TIBI ingredienti auidissimè circumfunditur, vt in altum Honoris TUI Præsulei Clivum, non ceruis aut Leonibus, non elephantis aut quadrijugo curru; sed publico priuatoq; omnium prosperrima TIBI annuentium desiderio, sed linguis ouantium, sed feruentibus gestientium tripudiantiumq; votis, ferri ac inuehi videaris; in vota desino. Nimirum vt peculiari supremæ Cælorum Maiestati beneficio, quæ TE sibi populoq; suo Pontificem elegit, diu Bonitate TUA frui nobis liceat, diu Iustitia gubernari, diu sanctitate & pietate conseruari. Adextremum vt qui inter Triumphalia JLLUSTRISSIMÆ DOMûS TUÆ ornamenta, & Gloriosa tot victoriarum trophæa, cælesti ac innumera Virtute, Meritisq; præcellentibus, NOUUM SACRI PONTIFICII HONORIS GESTAMEN, GENTILICIÆ CRUCI TUÆ, appendere felicissimo conatu molitus es, abinde nouorum seculorum pulherrimum contextum, diu longè, prosperèq; victurus ordiaris Dixi.